Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36539
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



potuistis una hora uigilare
mecum. Vigilate et orate, ut non
intretis intemptationem. Spiritus quidem
promptus est, caro autem infirma.
Iterum secundo abiit, et orauit dicens.
Pater mi, si non potest hic calix transire
nisi bibam illum fiat uoluntas
tua. Et uenit iterum, et inuenit
eos dormientes. Erant enim oculi eorum
grauati. Et relictis illis, iterum abiit
et orauit tertio eundem sermonem
dicens. Tunc uenit ad discipulos
suos, et dicit illis. Dormite iam, et
requiescite. Ecce appropinquabit hora,
et filius hominis tradetur in manus
peccatorum. Adhuc ipso loquente, ec-
ce iudas unus de duodecim uenit
et cum eo turba multa cum gladi-
is et fustibus missi a principibus sacer-
dotum et senioribus populi. Qui autem
tradidit eum, dedit illis signum
dicens. Quemcumque osculatus fue-
ro, ipse est tenete eum. Et confestim
accedens ad ihesum, dixit illi. Aue rab-
bi. Et osculatus est eum. Dixitque il-
li ihesus. Amice ad quid uenisti? Tunc
accesserunt et manus iniecerunt in
ihesum et tenuerunt eum. Et ecce unus
ex his qui erant cum ihesu extendens
manum exemit gladium suum, et
percutiens seruum principis sacer-
dotum amputauit auriculam eius.
Tunc ait illi ihesus. Conuerte gla-
dium tuum, in locum suum. Omnes

enim qui acceperint gladium, gladio
peribunt. An putas quia non possum
rogare patrem meum et exhibebit
michi modo plusquam duodecim le-
giones angelorum? Quomodo ergo im-
plebuntur scripture? quia sic o-
portet fieri. In illa hora, dixit ihesus
turbis. Tamquam ad latronem
existis cum gladiis et fustibus, con-
prehendere me. Cottidie apud uos
sedebam docens in templo, et non
me tenuistis. Hoc autem totum
factum est, ut implerentur scripture
prophetarum. Tunc discipuli omnes re-
licto eo fugerunt. At illi tenentes
ihesum duxerunt eum ad cayphan
principem sacerdotum, ubi scribe
et seniores conuenerant. Petrus autem
sequebatur eum alonge usque in a-
trium principis sacerdotum. Et in-
gressus intro, sedebat cum ministris
ut uideret finem. Principes autem
sacerdotum et omne concilium quere-
bant falsum testimonium contra
ihesum, ut eum morti traderent. Et
non inuenerunt, cum multi falsi
testes accessissent. Nouissime autem
uenerunt duo falsi testes et dixerunt
Hic dixit. Possum destruere tem-
plum dei, et post triduum reedifi-
care illud. Et surgens princeps
sacerdotum ait illi. Nichil respon-
des ad ea que isti aduersum te
testificantur? Ihesus autem tacebat